

16300.

QUÆDAM DE MORBO LE-  
PROSO INTER RUSTICOS  
ESTHONOS ENDEMICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM  
ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINÆ ACADEMIÆ

LEGITIME IMPETRANDO

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*GUSTAVUS EDUARDUS MEYER,*

REVALIA-ESTHONUS.



---

REVALIAE ESTHONORUM,  
EX OFFICINA C. DULLO.  
MDCCCXXIV.

*I m p r i m a t u r,*

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor, d. xi. Novembr.  
MDCCLXXIV.

Fr. Parrot, h. t. Decanus.

D 176 01

*P r o o e m i u m.*

Dissertationem editurus inauguralem, quam potissimum materiem tractandam proponerem, multum ac diu deliberavi. Ut enim haud alienus a me erat campus ille amplus theoriarum, nimirum plerumque dubiarum et ancipitum de quacunque artis medendi materie, ita arduum mihi et audax novam aliquam in medium proferendi videtur consilium, quae, deficiente me adhuc multa rerum experientia, firmissimo scilicet cujuslibet hypotheseos adminiculo, minoris tantum momenti esse possit. Sane nimia sui esset fiducia, si, qui naturam e solis fere ideis cognoverat et modo initium fecerat naturae e natura, ut ita dicam, explorandae, is theoremata, quae nominant, nova in lucem proferre vellet. In res igitur practicas oculos meos conjeci, sperans fore ut simul alium dissertationis meae assequerem finem, artis videlicet quam potest maxime medicus juvenilis promoverem progressum.

Id itaque jam ago, ut, excitantibus, quos pluri-  
mos duce Dr. Struve, illustrissimo viro, observavi,  
gravioris momenti morbis, eos hoc loco communi-  
cem atque exponam et in leprosum quendam, ut  
inter Esthonos occurrit, syphilidi similem morbum,  
lectorum animum convertam. Angustioribus autem  
dissertationis finibus, quum praesertim multis ca-  
ream experimentis, non ego is sum, qui fusius et  
uberius hisce de rebus disputare possim velimve.  
Cujus morbi formas proponendo periclitari tantum  
volui, si, diagnoseos habitâ ratione, accuratius eas  
possem dijudicare et cum similibus conferre alia-  
rum regionum morbis endemicis.

Ceterum nihil mihi rerum omnium est, quod  
malim, quam ut in hoc meo opere aestimando,  
utpote quod a tirone conscriptum est, frontem be-  
nigne remittatis.

## Plurium hujus morbi formarum enumeratio.

---

### Historia morbi ima.

Mulier Caddri tres et viginti annos nata, consti-  
tutione plethorica, bonae valetudinis specie, abhinc  
annos tres nupta est viro et puero semestri sane  
praebet mammas. Domicilium quinquaginta millia-  
ria rossica a Dorpato, in paludoso loco et uligino-  
so, situm est; alimentum maxima ex parte constat  
e pane nigro, cibo e farina parato, tuberosis so-  
lanis ac piscibus. Usque ad auctumnum anni  
MDCCLXXXIII optimâ semper utebatur corporis sani-  
tate, sed eo fere tempore exanthema apparuit pri-  
mo in antica parte articuli pedis sinistri, idque sine  
ulla insigni habitudinis communis turbatione. Die  
vto mensis Maji anni MDCCLXXXIV in nosocomio  
Dorpatensi opem medicam imploravit, quo facto  
aegrotâ stationaria ibi recepta est. Exanthematis  
decursum, dum commorabatur aegrotâ in hoc in-  
stituto, animadversum, sequentia demonstrent. Ve-  
hementissimum inter pruritus epidermis assurrexit;  
cujus allevationis circuitus orbem capitis acus ae-

quabat, diametros circiter lineam. Epidermis e quadrante fere lineae supra solitam cutis superficiem in altum elata, immundum, ex rubro nigrum simul cum specie nitida prae se ferebat colorem. Manibus attractata paulo solidiorem texturam ostendebat quam cutis in statu integro; dolor, aestus, et tensio ne in attractione quidem aderant. Orbiculus hic in dies magis extollebatur et dilatabatur, adeo ut allevatio ejus super cutis superficiem dimidiam lineae, diametros autem quartam pollicis partem expleret. Superficies iniqua erat. Eodem tempore juxta hunc locum eruptum complures aliae eodem modo exoriebantur allevationes, universae conjunctim circularem formantes maculam, colore carnosio et variâ magnitudine, quarum macularum complures emersae, ambos pedes, plantis eorum exceptis, crura et femorum dimidium inferius occupantes rubeli argentei plerumque magnitudinem amplectebantur. Exiguus inter maculas sulcis colore carnosio pariter infectis, totus locus aequabiliter tinctus adspiciendus erat. Harum margines macularum nec singulari duritie nec callositate insignes aequae atque in medio compactam habebant structuram. Singulae allevationes ut primum transierant in congeries eas magnitudine diversas, post dies duo vel tres e parte media desquamari incipiebant.

Apparuit scilicet, idque primum in medio, punctum subalbidum, augescens in squamam inaequalem nunc subrotundam nunc multangulam, plus minusve tenuem et pellucidam; cujusmodi squamarum tres vel quatuor alia super alia stratae jacebant. Singulae maculae vicinae in hoc processu peripheriam versus, primam maculam sequentes simul proprium ex rubro caeruleum exhibebant colorem, qui praecipue in crure et in dorso pedis sinistri animadverti poterat. Post desquamationem, duas hebdomades et diutius perdurantem, color ille quidem ex rubro caeruleus, nihilominus vero in omnibus locis cutis evanescebat allevatio. Cutis multis in partibus resumpsit fere normalem suum colorem nec ullam ostendit adauctam sensibilitatem; et textura dum videbatur rigidior, epidermis erat rimosa. Eodem fere tempore et pruritus omnis abiit. His phaenomenis et hoc ordine non solum antehac, testante aegrotâ, sed etiam nunc inter observationem medicam singulae squamae desiccabantur aliis denuo succedentibus, donec sub exitum mensis Maji, adhibitâ subducenti curatione secundum illustrissimi Dr. Struve\*) praecepta, quum

---

\*) Vid. Dr. L. A. Struve über Diät, Entziehung- und Fungertur in eingewurzelten chronischen, nas

solutio squamarum sensim sensimque ocuis processisset et circulares illae congeries planiores factae essent et colore pallidiores, nullae amplius prodibant, et aegrotata levi cum rubedine cutis, dato ei consilio ut accuratam severamque diaetam ageret, sana dimittebatur.

#### Historia morbi 2da.

Sophia, femina esthonica vidua, quadragesimum aetatis annum agens, exceptâ photophobia fere continuâ, prosperâ semper fruebatur valetudine usque ad secundum abhinc annum, ubi, quum post mortem mariti in urbem venisset famulatum sibi quaesitum, tempore veris anni MDCCCXXII repente in facie ejus, sine ullo pruritu antecedente, papularum magna vis erumpebat, quae hebdomade praeterlapsâ disparuerunt, relictis aliquot modo majoribus modo minoribus helvis maculis, quae super cutis superficiem non elatae mutatum solum praec-

bebant colorem. Postea et in ceteris corporis partibus vel minores vel majores, subrotundae, rubidae, subflavae, et plerumque determinatae exoriebantur maculae, neque certo sensu nec papulis ante observatis. Ante malum proruptum et eo durante mulier ceteroqui bene sese habebat. Aestate anni praeteriti maculae pallidiores factae sine desquamatione quidem omnino tandem e conspectu discesserant; tempore vero auctumni redierant; nec aegrotata certam ejus rei causam afferre poterat. Menstruatione nec non digestionem rite procedentibus optime aegrotata sese habuit. Mense Majo anni MDCCCXXIV exanthena in facie e puniceis, nasum versus e caeruleo rubris et inaequalibus constabat maculis, quarum aliae terminatae erant, aliae coalescebant in unum. Non elatae versus partem mediam colore tinctae fusciores et paulo duriores erant, superficies prorsus laevigata, nullis desquamationis exstantibus vestigiis. In collo, cervice et regione abdominali complures adparebant maculae, arcissime definitae, versus marginem plerumque fusciores cum flavo intermixto colore, subrotundae, diversâ magnitudine, quarum nonnullae tactu duriores, marginem versus elatiores in aliquot locis minorem cuticulae furfuraceam ostendebant desquamationem. Extremitatibus superioribus ampliores erant maculae

ad magnitudinem quidem volae manus, subrotundae, et inaequali, in nonnullis paulo elato, fusco ex flavo fusco et subcaeruleo margine determinatae. Planities interior undique laevigata sordide fulvum colorem traxerat. Aliae furfuri similes paululum desiccabantur, aliae omnino non. Quas inter, loco diverso, minores ejusmodi maculae in cute subrubicundae observari poterant. In antibrachiis maculae fiebant fusciores, subrubicundae, subcaeruleae. In inferiore dorsi parte, in natibus extremitatibusque inferioribus et deorsum usque ad pedes maculae omnes arcte definitae, permagnae, ex rubro nigrae et caeruleae, praecipue in margine, erant, quaedam satis magnâ duritie; et quamquam nonnullae parumper elatae furfuri similes desiccabantur, tamen pleraeque earum laevigatam et planam prae se ferebant speciem. Ceterum sensus loci in cute affecti idem erat ac bene valentis.

### Historia morbi 3tia.

Anna, femina gentis esthonicae viginti et tres annos nata, temperamentum phlegmaticum, constitutionis siccae, macilenta, praecunte levioris momenti molestiâ catarrhali, ulcera in faucibus et ore acce-

pit, suppuratione declarata et cum doloribus ac tussi frequentiore conjuncta. Causam morbi nullam fere certam commemorare potuit aegrotâ; seque virorum pravâ familiaritate unquam usam esse, patris de eadem re fide datâ, constanter negavit. Inde ab affectionis in faucibus initio nullum adhuc auxilium medicum efflagitatum erat, excepto e compluribus radicibus et bacis decocto interne nigroque aliquo oleo externe adhibitis. Tali modo per annos tres de die in diem longius ulcera serpentina terribilem in modum nominatas destruxerant partes; donec pater in nosocomio Dorpatensi opem medicam quaerere institueret. Die 11do m. Maji anni 1800 aegrotâ receptâ et exploratione accuratius factâ haec fere in conspectum veniebant. Vellum palatinum praeter exiguam e tenui carnis filo libere pendentem partem totum erat deletum, in faucibus posticis et superioribus ulcera occurrebant tum ad superiorum colli vertebrarum corpora tum ad partem basilarem ossis occipitis patentia. In sinistra cavitate oris parte in regione nempe anguli maxillae inferioris ulcus longe diffusum se obtulit. In septo narium foramen nummuli (Sünfet) prope argentei magnitudine reperiebatur. Haec ulcera omnia nec prorsus lardacea nec alte descendencia magnam puris decernebant copiam, quod, fauces universas

tegens, nimis accumulatum ab aegrotâ ejiciebatur. Genitalibus exploratis nil morborum in iis perspicui poterat, ac ne vestigium quidem destructionis ullius antea locum habentis. Omni corporis superficie neque aut ulcere aut cicatrices relictæ aut maculæ animadvertiebantur. Aegrotâ maximopere emaciata, extremitates vixdum carne obtectæ erant, scapulae, costae et ossa ischiadica vehementer prominabant nec minus ossa zygomatica et maxilla inferior, facies rugosa, flaccida, colore subflavida, ob veli palatini jacturam locutio nasalis. Ceterum functiones se exhibebant normales. Exortoses sicuti dolores osteocopi nocturni non aderant. Prognosis quamquam ob debiliorem aegrotæ constitutionem, maciem et imbecillitatem corporis, damnositas tantum diu momenti in organismum vim exserentibus, non optima sistenda erat, tamen tractatione medicâ secundum subducendi et esuriendi curationem, ab illustrissimo Dr. Struve commendatam, diligentium virium conditionis habitâ ratione ita ut extra victum destinatum etiam polenta cum lacte ei praeberetur, sine mercurialium usu sensim sensimque ulcera puriora facta sunt; in omni ulcerum planitie perspicua sese formavit granulatio; in naso ulcera per cicatrices sanabant, ceteris ulceribus quamvis tarde ad sanandum sese appropinquantibus. Sed

medium sub mens. Junii quæ et antea jam vexaverat aegrotam, tussis assidua vehementior existit, et febris superveniente hecicâ aegrotâ sub finem mens. Junii diem obiit supremum. Sectione cadaveris institutâ, ulcera inveniebantur usque ad partem basilarem ossis occipitis patentia, periosteum et ossibus superioris et mediae in naso conchæ simul affectis. Aegrotam jamdiu phthisi pulmonali, antehac non satis compertâ, laborasse, status pulmonis dextri prorsus pure completi sicuti sinistri, qui multitudine vesicularum humore quodam aquoso plenarum obductus fuit, argumento esse potest.

#### Historia morbi 4ta.

Ello, femina esthonica quadraginta annorum, constitutionis robustæ et bonæ ceterum valetudinis cum infante suo, puero quinque menses nato, æque ac mater valido et bene nutrito a die xxviii. mens. Februarii anni mdcccxxiv in sectione medica nosocomii Dorpatensis tractata est. Aegrotâ tam forti correpta erat raucitate, ut, quæ dicebat, difficillime audirentur. Querebatur etiam de dolore faucium, qui, quomodo parum vehemens, tamen, quominus leviter deglutiret, quodammodo eam impediebat. Accessit et vehemens in inferiore na-

rium parte dextri lateris pruritus. Rite factâ exploratione haec fere patebant: In velo palatino uvula, tonsillis et faucibus multitudo occurrit parvorum ulcerum, partes, quas modo nominavimus, totas fere obducentium. In lingua extrema et latere anguli oris sinistri pariter sese offerebant ulcera parvula serius quam cetera exorta, quae quamvis fundo fere lardaceo praedita, eo tamen a venereorum discrepabant indole, quod non pari atque illa profundiores partes corrodebant celeritate et magis in superficie versabantur; immo vero nonnulla ex iis parumper erant allevata, margines autem elati et callosi vix deprehendi in iis poterant. In narius ulcera eâdem, qua faucium erant conditione. In cubito, humero, mammâ dextrâ et natibus exanthema conspiciebatur naturâ herpeticâ. In cubito volae manus circiter amplexens magnitudinem, e multis constabat papulis, parvis et siccis, quam ob rem hic locus iniquam praebat superficiem. Hoc exanthema eo erat provocatum quod convexae ex nigro rubro colore eruperant papulae, quibus crepantibus, quam contenta in iis lymphâ exsiccaretur, crustae minutae exoriebantur. Totus locus, si attigeris, mollem et holoferici\*) instar fere sese

\*) Vid. Salzburger medicin. chirurg. Zeitung 1816.

praestabat. In aliis locis, supra denominatis, exanthema magis rotundum crassioribusque erat et paene coniformibus crustis obrutum. Cujus exanthematis loci singuli rubro circumdati erant orbe et inflammato, dum exsiccatae, quarum modo mentionem fecimus, crustae omni ex parte decidebant perdurante. Exanthema digito atrectanti mollem praebens et holoferico similem superficiem ac ne minimum quidem concitans pruritus nulloque modo madens, peripheriam explevit rubeli argentei magnitudine quadrantis. Circa anum et in perinaeo grandis condylomatium satis elatorum offendebatur multitudo. Quae inter nates eundo atterebantur, latam, albam atque madentem ostendebant superficiem, acute abeuntibus et nequaquam madentibus ceteris. Haec etiam circumsepta erant orbe rubicundo. Extremitates inferiores, inguina et genitalia prorsus pura et omnibus vacua erant cicatricibus. Aegrotâ ceteroquin optime sese habebat. — Quoad statum infantis in gena dextra et naso ulcera reperiiebantur magnitudine fere dimidii rub. argenti. In superficie integras adhuc cutis prae se

Ab. 2. pag. 13. et Dr. L. A. Struve, über die aussehartige Krankheit Holsteins. Altona 1820. §. 19.

ferebant partes; prorsus paene erant superficialia, propemodum lardacea, adspetus eorum immundus, circuitus admodum inflammatus. Progenita erant a minoribus maculis, lympham, qua postea crustae sese formabant, excernentibus, quae perpetuo scabente puero divulsae haec loca reddebant excoriata et madentia. Ulcera durante sanatione inde a margine in dies magis imminuta sunt. In fronte infantis exanthema conspiciebatur variolae simile, formam ovalem, paulo allevatius, in media vero parte convexum, prorsus non madens. In amborum cubito brachiorum idem et eodem quidem loco, quo matris, exanthema apparuit. In occipite aliquot loci exanthemate affecti observari poterant pari atque in matre exanthematis rotundiformis qualitate. Ceteris in corpore locis omni ex parte puris, infans optimam valetudinem gaudebat. De causalibus morbi momenti haec fere mater retulit: Ante circiter sex septimanas cum infante, posthac ab ulceribus correpto, in balneario fuerat et sequenti jam die in faucibus cum raucedine senserat dolores; mox ulcera in faucibus affuerant et deinceps in lingua vesicula pariter in ulcus reducta apparuerat; brevi post et exanthema cum condylomatibus eruperat. Infectionem amplexu venereo impuro progenitam pertinacissime negabat. Fluoris albi et

siphilitici canceri primarii in genitalibus nulla prorsus exstabant vestigia. Maritus, cujus historia morbi hanc ipsam subsequitur, eodem malo laborabat. Adhibita subducendo et guajaci usu curandi methodo\*) ulcera matris sensim sensimque puriora et multo quam antea minora evaserunt; et exanthemate magis in dies desiccato etiam condylomata planiora facta aliqua ex parte desiccabantur. Ulcera infantis, nonnisi tempore aliquo praeterlapso, sanationem eorum jamjam inceptam ad finem perducere sinebant, cujus rei causa rectissime afferri potest infantis manuum frictio, denuo ulcerum planitiam irritans; cum tandem die xxix. mens. Apr. in integrum restituti ambo dimitterentur.

#### Historia morbi 5ta.

Inde a die xxvi. mens. Martii ann. mdcccxxiv mulieris supra memoratae maritus cognomine Jahn, gente esthonica oriundus, miles Dorpati praesidiarius, sexagesimum aetatis annum agens, vir badius, constitutionis mediae in schola clinica Dorpatensi et ipse tractatus est. Hucusque perpetuo sanus, annis tantum proximis molestias quasdam rheumati-

---

\*) Vid. Struve l. c. pag. 60 et 61.

cas et arthriticas perpressus erat, quae tamen adeo leves ei visae sunt, ut plane eas negligeret. Sub exitu vero mens Jan. praeterlapsi in parte capitis pilosâ papulae et stigmata magno numero sese formaverant, in faciem hinc, minora tamen numero, effusa, eaque praesertim in frontem, ubi magnitudine ampliora, neque minus inde ab occipite in cervicem extensa, ubi gregatim multitudine majore, minore autem in partes colli anticas et laterales propagata erant. In pectore, abdomine, dorso, femoribus et poplite papulae aliquot postea prodierant singulae vel majores vel minores, quarum aliae maxime adauctae, ad magnitudinem scilicet primi pollicis artus et lympham suppuriosam profundentes, crustâ, sub qua ulcus latebat, obtectae erant, aliae furfuri similes desiccabantur. In regione sacrali et brachii dextri cubito, aboutibus hisce ulceribus, nonnullae cicatrices resistenterant, formâ ovali et colore subalbido. Ad postremum in scroto, circa anum, in angulis oris, interioribus genis et labiis ulcera proruperant. Aegrotô receptô, exanthematis talis fere erat conditio: In parte capitis pilosâ stigmata et pustulae ad magnitudinem usque lenticulae et etiam supra praecedentes protulerant crustas, quae, aliis locis talium formationem ulcerum demum incipientibus, decide-

bant. E cutis illis efflorescentiis pars durae erant, pars molliores, minores et majores; existebant aut singulae aut congregatae praecipue in occipite; aliae maduerant, aliae semper fuerant siccae et quum illae multimodi obducerentur crustis, hae nonnisi condensationem et cuticulae desquamationem furfuri similem posthac intervenientem ostenderant. In cervice majores aderant maculae ex rubro nigro colore infectae, omni ex parte siccae, plus minusve convexae, quarum pars durae, furfuri similes desiccabantur, aliae molles erant, et si attigeris, holosericae tamquam esse videbantur. Nonnullae parvulae, ubi sine dubio pustula antea haeserat, ferebant crustas, quae, testante aegrotô, etiam maduerant; nonnullae omni ex parte erant laevigatae et nonnisi condensationem ostendebant cuticulae. Cujusmodi maculae et stigmata in fronte singula sicuti in extremâ auris parte, collo, pectore, praecipue in regione clavicularum, pauca in abdomine et in dorso conspiciebantur. Brachia praeter maculas in cubito aliquas vacua his erant, manus et antibrachia omnino pura. In femoribus aliquot loca, praesertim in planitie anticâ crustâ obtegente, deprehendi poterant, sub quibus ulcera, deoussâ crustâ antehac male comparata, sedem habuerant; nunc vero crustae firmiter in cute haerebant. Sca-

bendo et terendo ad istam pervenisse videbantur magnitudinem, qua ceteras longe superabant. Praeter aliquot hujusmodi loca in poplitibus et superiore surarum parte, extremitates inferiores plane purae. In scroto erant loca excoriata, madentia et plana, absentibus vero marginibus tumidis et fundo lardaceo. Glans penis et penis ipse mundus, et modo in praeputio brevi ante facta erat levis excoriatio formâ tali ac specie quali in scroto ulcera. Circa anum ante duas hebdomades maculae rubidae apparuerant cum pruritu conjunctae, quae in altum elatae mox in condylomata augebantur colore fusco-rubro, frictione vehementi madentia et ulcera formantia magnitudine dimidii fere rubeli argentei. In angulis oris loca reperiiebantur decolora, crustata, quae ad quemque oris motum disrupta perpetuo madebant. In interiore labrorum genarumque planitie ulcera exorta erant subalbida lenticulae paene magnitudine. Fauces modice rubentes ab omni dolore erant liberae, lingua pura, nasus omnino sanus. Exanthema nec pruriens nec dolens, condylomatibus in ano exceptis, aegroto ceteroqui nequaquam erat oneri, qui alias integra gaudens valetudine optimo cum appetitu cibum sumebat, sedibus diurnis simul et excretionibus ceteris normalibus nec depressis viribus; quid multa?

Nullum symptoma cujuscunque morbi alius poterat reperiri. Inter causas hujus mali praedisponentes adversae certo aegroti numerandae sunt vitae rationes, aër scilicet in paludosa regione humidus, alimentum malum ac viscidum, quibus incommodis non minus et mulier et infans expositi erant, immodicus insuper spirituosorum usus, neglecta cutis procuratio etc. Ad juvandam curationem diaeteticam \*) in hoc morbo adhibitam et praesertim ut spectaretur, quinam sublimati sit effectus in comparatione alius curandi methodi in ceteris familiae membris applicatae, aegroto pilulae praebebantur e mercurio sublimato corrosivo paratae, quarum ambarum tam prosper evasit successus, ut aegrotus die xxvi mens. April. in integrum restitutus dimitteretur. Exanthema evanuerat, crustaeque omnes sensim deciderant colore tantum cutis fuscior relicto. Curam susceptam feliciter processisse cuilibet argumento esse potest, quod non solum maritus sed etiam mater et infans sub finem mens. Augusti optimâ utebantur sanitate.

#### Historia morbi 6ta.

Peter, piscator esthonicus sexaginta annorum, lacus nomine Peipus accola, constitutionis torpidae,

\*) Vid. Struve l. c. pag. 62.

radesyge, quod vocant, malo persimili laborans, viro illustrissimo Dr. ERDMANN, nunc archiatro regis Saxoniae serenissimi duce, inde a die VII. mens. Mart. anni MDCGCCXXII in nosocomio Dorpatensi tractatus est. Aegroti, cum reciperetur, status fere talis erat. Pedibus cano-caeruleis, circa tarsi articulum et plantam maxime inflatis, cutis tactui dura membranae pergamenae haud dissimilis, digito admotò nec colorem mutatum nec impressionis ullius exhibebat vestigium, et, quum simul esset rimosa, desquamationem foliosam epidermidis partium ostendebat magnitudine dimidii circiter rubeli argentei. Aliis in locis prominentiae in conspectum veniebant durae et tuberculosae colore fusco et cuprino tinctae; unguis in pedum digitis erant deformes, crassi et rimosi. In cruribus color caeruleus transiebat in rubicundum; temperatura hic magis adaucta erat, quam in pedibus plerumque frigidiusculis; cutis prope usque ad genua intensa, tactui coriacea, nitida et tuberculosa, et ubi tubercula daerant impetigine madescente obruta. In crure dextro, regione scilicet surae, singula tuberculorum rupta formaverant ulcera minime dolorosa caractere torpido, quae callosis praedita turgidis atque disruptis marginibus et lineae paene longitudinem in profundum penetrantia, lardaceo tamen

fundo carentia ichorem quendam excernebant pravam et aquosum. Postea in femoribus ejusmodi excrescentiae loco mobiles et tuberculosae procreatae erant. Glandulae inguinales pariter extiterunt induratae, deficientibus tamen cicatricum vestigiis, e quibus bubones, qui antea in suppurationem transiere, syphilitici potuissent colligi. In interiore femoris latere sub cute hoc loco utique sanà, tumores occurrebant loco mobiles, dolore vacui et digito prementi cedentes, persecti fere magnitudinis ovi anserini. In genitalibus et ano nil poterat reperiri alienum; non magis in cute thoracis, ubi flaccida solum et turgore suo erat privata. In manuum dorso eodem modo se offerebant tubercula colore cuprino, loco mobilia et dolore carentis, nucis circiter avellanae magnitudine; minora iam brachiis et antibrachiis. Temperatio extremitatum se exhibebat normalem; unguibus tantum digitorum solito magis colore fusco infectis. In collo et facie nullum cutis modo saepius dicto permutatae exstabat vestigium; nasus, frons et genarum sub oculis cutis subrubicunda, subtumida et singulis obsita erat comedonibus. In palpebris et supra glabella aliquot in cute deprehendebantur prominentiae. Facies, cutis extremitatum superiorum, thoracis et femorum aegroti vehementer pruriebant, cutis vero

pedum et crurum multo minore quam ceterorum membrorum gradu. Membrana Schneideriana emollita, fusco-rubra, hinc illinc ulceribus obducta septumque totum deletum erat. Dolores in naso aegrotus non perpeusus tensionem tantum quandam sentiebat. Palatum molle omne insignem in modum rubebat, cujus in limbo ulcuscula quatuor animadvertiebantur cano-subalbida, margine circumdata rubicundo et satis elata, quorum nonnulla et in tonsillis aderant subtumidis et rubentibus. In postico pharyngis pariete ulcus in conspectum prodibat planum ac fere lardaceum margine circumseptum rubicundo et nummuli argentei magnitudine. In deglutiendo tantum aegrotus in collo sensit dolores, functionibus ceterum corporis aliquatenus turbatis. Conquerebatur aegrotus de levi languore et factam post motionem asthmate. Digestio et somnus erat integer, animus alacer.

Secundum anamnesin ante annos duo tempore hyberno et frigore aspero aegrotus fecerat iter, quo confecto maxima cum lassitudine et levi dyspnoea vehementem sentiebat dolorem urentem et sub cute prurimum, primo quidem in pedum digitis, postea vero in femoribus, manibus et brachiis. Digni pedum rubebant tumescebantque, cutis in pedibus fiebat intensior, nitida, dura et in aliquot locis madescebat.

Pruritu vehementi mitigato, maculae exoriebantur caeruleae, e quibus tubercula prodibant nonnullis in locis, lympham exsudentia et crustas producentia, quibus decidentibus in crure dextro prodierant ulcera. Ubi cutis tuberculis erat libera impetigo adparuit madens, quae desiccata rursus emergebatur. Coryzam aegrotus siccam jam diu observaverat cum dolore quidem non conjunctam. Excrementiae et dolor faucium duabas hebdomadibus ante demum affuerant. Malum priusquam in caetem fusius procederat aurium saepissime susurros et repentinam in somno excitationem aegrotus experiebatur. Morborum, qui antea exstiterint vestigia, e. g. arthritidis, scorbuti et syphilidis nulla prorsus animadverti poterant. Cum uxore ante x annos postremum se concubuisse, et quibuscum hucusque una habitavisset, eos omnes fuisse sanos contendebat. Doloribus osteocopis nunquam laboraverat. Per mercurium dulcem et rheum alvo purgata, aegroti pulvis mercurii dulcis ad granum pro dosi his per diem propinabatur et dietam exigua atque lignorum decoctis simul praescriptis unguentum mercurii praecipitati rubri ulceribus applicandum curabatur. Salivatione exorta secundum illustrissimi Brera praecepta usus mercurii internus cum infrictionibus unguenti cinerei commutatus

est; huc accedebant vaporaria. Mercurii tamen, quia parum afferebat utilitatis, usu intermisso, aegrotus, ut optato ejus satisfaceret, mense Majoinasanatus e nosocomio domum remittebatur.

Priusquam leprosi ipsius morbi adumbrandi initium faciam, liceat mihi citare aliquot auctores indigenas, quorum tametsi plurimi hoc malum ducant syphiliticum, phaenomena tamen maxime respici jubent huic malo propria, quae ipsis morbi leprosi symptomatibus simillima, praeter morborum historias a me communicatas et breviter expositas, lectori benevolo accuratius perpendendas, morbi formae modo nominatae assumptionem inter rusticos esthonos et ipsa videntur comprobare.

Cel. Dr. ARMINIUS BLUMH \*) in capite de lue venerea, quam et rure et in urbe satis late perhibet dispersam, raro se dicit incidisse in bubones et caneros syphiliticos, fauces vero morbosas non quidem ulcerosas sed inflammatas tantum et quasi panno albo bombycino tenuiore obductas

saepenumero vidisse. Faucibus tali modo affectis, nonnulli per menses, immo vero annos, vexati aestate se melius sentiunt valere, adveniente autem tempestate frigidiore molestiae revertuntur.

Experientiss. Dr. R. S. WINKLER \*) negare mihi naturam syphiliticam videtur ulcerum inter Esthonos occurrentium et in principio quae illustr. Dr. STRÜVE \*\*) describit, ulceribus omnino simillium, dicens: „Sehr häufig beobachtet man Geschwüre unter den hiesigen Bauern, bei welchen gar keine Kennzeichen von den bisher genannten specifischen Scharfen (scorbutische, venerische u. s. w.) vorhanden sind, und bei denen man weder eine äußerliche noch innerliche Ursache ausfindig machen kann. Gemeinlich erscheinen dergleichen Geschwüre zuerst als kleine, über der Haut erhabene harte Pusteln, welche einen scharfen Eiter in sich enthalten. Durch Vernachlässigung und den Gebrauch ganz verkehrter Mittel entstehen hieraus die hartnäckigsten Geschwüre, welche sich sehr ausbreiten. An den Füßen, besonders am Schienbeine, beobachtet man sie am häufigsten.“

\*) Versuch einer Beschreibung der hauptsächlichsten in Neval herrschenden Krankheiten. Marburg 1790. pag. 148.

\*) Vid. Krankheiten der Estländischen Bauern. Neval 1793. pag. 390.

\*\*) Vid. über die ausfagartige Krankheit Holsteins. Altona 1820. S. 19.

Cel. Dr. C. E. BAER \*) *leprae paucis faciens mentionem dicit: „Inter morbos chronicos exanthematicum omnia genera saepe obveniunt; scabies, herpes, lepra e sordibus humido aëre oriuntur et communi balneorum usu facile divulgantur, causisque earum difficile removendis, haud facile curantur.“*

Verba experientiss. Drs. I. I. ILISCH \*\*) ad nostram morbi formam referunt expresse dicentis:

„Eine Abart der venerischen Krankheit, die in den nördlichen Gegenden überhaupt und auch bei uns häufig vorkommt, ist die von den Norwegern sogenannte Radesyge. Sie ist in ihrer Form wenig verschieden von der eigentlich venerischen Krankheit, ist aber minder heftig und pflanzt sich nicht sowohl durch Ansteckung vermittelst des Weischlafs, als durch anderweitige vermittelst der durch das Zusammenleben unvermeidlichen Berührung fort, und zeigt sich mehr durch Geschwüre auf der Haut, als im Munde und in der Nase. Sie scheint

\*) Vid. Dissertat. de morbis inter Esthonos endemicis. Dorpati 1814. pag. 74.

\*\*) Vid. Die gewöhnlichen Krankheiten des menschlichen Körpers, mit besonderer Beziehung auf die Landbewohner der Ostseeprovinzen des Russischen Reichs. Riga und Dorpat 1822. Zweite Abtheilung pag. 210.

aus der eigentlichen venerischen Krankheit dadurch entstanden zu seyn, daß bei unvollkommen geheilten ächt venerischen Übeln, die letztern an Heftigkeit verloren, und sich in besonderer Form fortgepflanzt haben. Das nordische Klima mag ebenfalls einen großen Antheil an der Umbildung des Krankheitsstoffes haben.“

Praeceptor meus illustr. Dr. I. F. ERDMANN \*), aeternâ meâ dignus memoriâ, „morbis“ dicit „ex situ loci et vitae genere procreatis adnumeramus . . . . . et luem veneream longè vagantem et sub diversissima forma serpentem, non raro, complicationis causa, morbi suecici Radesyge vocati faciem prae se ferentem.“

Dr. C. SEIDLITZ \*\*) propriam, qua apparere solet, syphilidis accipit formam, dicens: „Saepe numero praesente diathesi scrophulosa luis syphiliticae forma ita permutatur, ut longa experientia, rectaque ingenii tum populi, tum ejusdem morborum cognitione opus sit, qua vera morbi indoles eruatur.“ Verbis: „in faucibus pluries nil nisi

\*) Vid. Annal. schol. clinic. Dorpat. Dorpati 1821. pag. 7.

\*\*) Vid. Dissertat. de praecipuis oculorum morbis inter Esthonos obviis. Dorpati 1821. pag. 54.

rubedinem, muco flavo obductam et spumam videbis; adest quoque peculiaris vocis corruptio, raucitas . . . , ad quae post aliquod tempus verae exulcerationes;“ eadem, quae Dr. STRUVE \*) in periodo secundâ morbi Holsatici affert symptomata, plane agnoscimus. Nec aliud certe verba sequentia: „Rariùs circa genitalia invenis symptomata recentis infectionis, sc. caneros et bubones, nisi in iis feminis, quae veneri vulgivagae adjuraverint“ probare videntur, quam hoc: aegrotos illos non syphilide sed de quo loquimur,\* morbo laborasse, plurimis medicorum unum idemque sentientibus, syphilidem universalem affectione quadam esse exortam locali \*\*).

Dr. C. L. MORITZ \*\*\*) nonnisi de lue venerea loquitur dicens: inveteratam eam et aliis morbis implicitam diversissimas ostendere formas.

---

\*) Vid. l. c. §. 11.

\*\*\*) Vid. S. F. Walch, ausführliche Darstellung der venerischen Krankheit. Sena 1811. pag. 519. — I. Lönvriër, Darstellung syphilitischer Krankheitsformen. Wien und Kump. 1819. pag. 266. — I. Wendt, die Lufkseeche in allen ihren Richtungen. Breslau 1819. §. 13.

\*\*\*\*) Vid. Dissertat. specimen topographiae medic. Dorpatens. 1823. pag. 65.

### Phaenomena morbi.

Plurimum morbi historiarum, e quibus equidem censeo memoratu dignissimas nobis praeberi hujus morbi formas, factâ enumeratione et locis citatis aliquot auctorum indigenorum examinibusque et observationibus plurimum, qui hoc malum perpetiebantur, hominum institutis, in animo est experiri, si certo ordine morbi phaenomena possim proponere. Nihilo minus mihi confitendum est libenter, me, si licuerit, ad imaginem morbi nostri accurate exprimendam majore atque longiore usum fuisse experientiâ. Idem non satis hucusque jam feci experientiae, ut morbum in certa dividere possem stadia; quamquam nec naturam ipsam, scilicet in hoc malo, terminos existimo constituisse tam manifestos, ut stadia stricte possint definiri, distributionemque in stadia curationis respectu, quae in morbis nonnullis maximi est momenti, nullum hoc in morbo afferre posse emolumentum practicum.

Prodromi, non semper tamen satis perspicui, modo multo ante praecedunt molestiae rheumaticae et arthriticae, modo brevi ante mali eruptionem affectiones antecedunt, quae, inter febriles numerandae, consistunt in capitis doloribus, horrore fre-

quentiore levique frigore, subsequenti aestu, languore et praesertim membrorum doloribus, quos rustici esthonicus tuu fonbi wallo nuncupant. Hyeme, frigidâque tempestate et humida molestiae imprimis, quae magis chronicae sunt, augescunt. Digestionis quidem molestiae cum malo simul incedere non videntur. His phaenomenis febrilibus status catarrhalis intervenit, in faucibus videlicet sensus dolorificus, qui aegrotis deglutienti maximo est impedimento; paries faucium praecipue posticus, tonsillae et uvula ruhent, non raro et lingua ipsa fit turgida, vox raucisona. In naso etiam, quem externe saepissime offendi rubicundum, aegrotus sentit dolores nunc cum siccitate nunc cum pituitate conjunctos. Hic status inflammatorius plerumque fit chronicus, nec raro menses, immo anni complures praetereunt, malo haud insignem in modum in organismi incolumitatem vim suam exserente. Status febrilis evanescit, relictis saepenumero artuum doloribus. Modo simul cum faucibus inflammatis, modo ante eas, languore et lassitudine corporis plerumque adauctis, modo et deficientibus illis, criseos instar post motus febriles, saepissime autem tam leves, ut ab aegrotis omnino non percipiuntur, maculae et in cute exanthemata proveniunt, quae variâ esse possunt formâ. Primum enim in facie

deinde per totum corpus maculae prorumpunt disjunctae, vel minores vel majores, subrotundae, subrubidae, transeuntes saepissime in colorem violaceum, aut sub fuscae aut flavae, quas ego ad picturam summâ ill. viri a cons. aul. Dr. STRUVE benignitate mihi impertitam, ubi hae maculae veram suam et propriam habebant figuram, et pro quo munere maximas ei, quas habeo, publice gratias ago, diligenter et accurate jam definiam. Exoriuntur igitur maculae rubrae, aut cuprino aut flavofusco tinctae colore magnitudine puncti pulicis ad volam usque manus, in collo vero, cervice, regione abdominali et pectorali minores, in extremitatibus plerumque majores. Subrotundae sunt et magis irregulares, in parte media colore infectae aequali, super cutem non elatae, margine circumdatae paulo elatiore, subfusco et saepissime violaceo; haec loca minus sunt sensibilia quam cutis sana. Quae maculae aut abeunt aut perstant longius, donec cuticula dirupta foliolis vel squamulis obortis desiccatur, sub quibus cutis reperitur rosacea, concavior, marginem versus allevior et fuscior. Hae maculae secundum rusticorum indicium postea transeunt in ulcera, seriorem mali gradum efficientia (naevus niger, morphaea nigra apud veteres, quae in lepram malignam, baran nigram

et psoram vertit. \*) Saepe exanthemata existunt herpetica, quae occupantia praecipue brachium, cervicem ac pectus et in asperitate consistentia cutis cum desquamatione prurituque vehementi, modo evanescent modo redeunt. Propria forma est impetigo rotunda et annularis (serpigo apud HANSLER \*\*) psoriasis gyrata WILLANI (? \*\*\*). Non raro violentum inter pruritus epidermis assurgit in formam quandam orbiculi, qui sensim sensimque ad auctus maculam ostendit ex rubro fuscam, paulo elatam, quam juxta aliae existunt et sic porro usque dum talium macularum complures orbem exhibent majorem; in summâ nunc allevatione squama apparet alba et tenuis, loca cutis elata fiunt planiora, squamae exortae siccae, peripheriam versus margine circumdatae aut rubro aut subcaeruleo, decidunt, satis normali cutis relicto colore, donec maculae denuo et squamae gradatim redeunt. (Lepra vulgaris WILLANI.)

\*) Vid. Th. G. Hensler, vom abendländischen Ausage im Mittelalter. Hamburg 1790. pag. 50.

\*\*\*) Pag. 51.

\*\*\*) Vid. R. Willan, Hautkrankheiten und ihre Behandlung, aus dem Engl. übersetzt und mit Anmerk. begleitet von F. G. Friese. Breslau 1816.

Interdum et facies, imprimis autem genae et nasus maculis deformantur modo puniceis, e caeruleo rubris modo inaequalibus tum determinatis, tum coalescentibus in unum, quae maxima ex parte non elatae solae per se raro consistere solent, sed papulae super his se formant plerumque ex fusco rubidae, quae ob factam in iis suppurationem subfusco-flavae sunt adspiciendae ita, ut cutis inaequalis et aspera rubris et saepe ulcerosis, accumulatis locis et elatis obducatur. (Gutta rosacea \*).

Alias per totum corpus cum papulis prorumpunt stigmata magnitudine lere lenticulae et supra, colore fusco-rubro; crebro et pustulae verae emittant, quae lymphâ puri simili completae crustasque formantes interdum quoque madent, modo condensata cuticulâ, desquamantur. Centigini GORDONI \*\*) leprosa hoc exanthema simillimum est; secundum recentiorum nomenclaturam maxime forsitan cum psudracia leprosa \*\*\* congruit, quae pariter ac nostra exanthematis forma ad similitudinem accedit scabiei cujusdam ecthymatis scabiosi scilicet eodem

\*) Vid. Hensler l. c. pag. 85.

\*\*\*) Vid. Hensler l. c. pag. 69.

\*\*\*) Vid. C. G. Schmalz Diagnostik. Dresden 1816. pag. 230.

modo escharas formantis compactas. \*) Crustae nunc durae sunt nunc molles et tactu holoferico similis. Singulorum exanthematis loca plerumque circumsepta sunt orbe rubro et inflammato, qui crustis decidentibus e conspectu recedit. Exanthe-  
 ma plurimum concitat prurimum, quam ob causam aegroti non possunt, quin scabant haec loca, quare madescencia mox abeunt in ulcera. Aut ictu aut alia externa vi celerius provocantur quam decursu solito fortasse factum esset. Ulcera totum obruunt corpus; creberrime vero inter rusticos nostrates in pedibus praecipue reperiuntur, eaque super tibia. Primo obducuntur crustis, postea autem et hae sol-  
 vuntur ichore foetido et liquido magis magisque ap-  
 parente; ulcera fundo affecta subrubicundo nec lardaceo quidem, nec sanguinem mittente ac mar-  
 gine circumscripta rubicundo, nonnunquam duro et rubedine inflammatoria circumdato, longius atque profundius serpunt et coniformes efficiunt cavitates \*\*) Ulcera proprium maximeque ingratum spargunt odo-  
 rem. Ossibus etiam correptis facile exoritur caries, tum ulcera vehementer dolent. Exostoses et do-

---

\*) Vid. Struve Krankheit Holsteins. §. 19.

\*\*) Vid. Struve l. c. §. 14.

lores articulares in observationibus, quas feci per-  
 pauca, nondum potui deprehendere. Capitis pars  
 pilosa etiam ab exanthemate pustuloso et succe-  
 dentibus huic ulceribus corripitur, uti historia mor-  
 bi 5<sup>ta</sup> satis demonstravit. Alopecia vera an mor-  
 bum nostrum comitetur nec ne futuris reservo ex-  
 perimentis; certe non prae se fert speciem leprae  
 incipientis. \*) Ulceribus formatis cum excrescen-  
 tia in ano antea jam exortae magis magisque adau-  
 ctae sunt, natius eundo attritis inflammantur, ulce-  
 rosa evadunt et valde madent. Et in genitalibus  
 serius ocius mutationes eo fere tempore adparent;  
 in viris scilicet excoiationes proveniunt, vesiculae  
 in praeputio quae dirumpentes et pus excernentes  
 ulcuscula omnino superficialia in lucem proferunt;  
 non minus in scroto et apud mulieres in labiis pu-  
 dendorum atque in perinaeo similia prorumpunt.  
 Saepenumero scroti cutis, quae alias mollis est et  
 laxa, dura fit et rimosa; rimae posthac mutantur  
 in planities ulcerosas. Aliud phaenomenon, quod  
 hoc in malo me animadvertisse credo constantius,  
 tum maxime quum longius processerit, structurae  
 unguium digitorum in pedibus manibusque mutatio

---

\*) Vid. Hensler l. c. pag. 60 seqq.

est, qui cornei rimosi et ut paucis dicam prorsus mutuli inveniantur.

Postremo etiam conditionem cutis tuberculosam imprimis brachiorum et crurum huius mali symptomatibus adnumerandam puto, quam semel quidem sed majori videbam gratu (vid. histor. morb. 6ia). Insuper epidermis magnis et crassis desquamabatur partibus. Ulcera antequam omni ex parte formantur, observari interdum aliquot possunt in cute loca, non dicam tuberculosa, tamen dura, satis magna ac late diffusa. Malo ingravescente rubentibus in tonsillis, pharynge, palato, nec raro in cavitate oris et ipsâ lingua maculae sese formant caeruleae, subalbido-canæ, quae brevi abeunt in ulcera superficialia. Haec non sunt lardacea sicuti syphilitica, nec ad partes profundiores tam celeriter penetrant, immo vero interdum animadvertuntur elata ac solito circumdata annulo rubicundo, nec nisi in deglutiendo dolori sunt. Haec ulcera in faucibus, palato, ore et cavitate narium semper fere ibi pertinaci praecedente coryza, magis in dies dilatantur, et quamvis lente incredibiles efficiunt destructiones; fit caries et saepissime etiam colli vertebrae corripuntur, sicuti historia morbi 3tia edocet. Tot tantisque malis localibus et habitudinem universam tarde quidem et pedetentim quo-

dammodo tandem turbari, luculenter perspicis. Aegroti molestiis antea non compertis vexantur digestionis, emaciant maxime, habitus pallidior est saepeque ictericus; ubi inclinaverant ante jam ad morbos pectorales, ibi demum evolvebantur, quorum sequela febris hectica vitae imposuit finem. Ulcera si externas tantum partes affecerant, ab iis correpti satis diu, quin etiam plurimos annos optima gaudent valetudine et natura his ulceribus tantquam excretionem critica quid damni a veneno in constitutionem altius et latius correptam redundet, ab eo defendere eam videtur; usque dum ab ulceribus magis magisque diffusis cutis perspiratione tam necessaria prorsus paene oppressâ, morbisque pulmonum obortis et per resorptionem ichoris depravati ac generaliter perlapsum virium vitalium febre provocatâ hecticâ aegroti mortem nimirum sibi exoptantes infaustissimo tandem malo absumuntur.

## Hujus mali ab aliis morbis ei similibus discrepantia.

---

Singularem quidem hoc malum cum syphilide secundariâ habet similitudinem; signis tamen diagnosticis sequentibus cognoscetur ab eâ diversum. Experientia plurimorum medicorum ac peritissimorum scriptorum\*) placita hanc, de qua jam omnes fere consentiunt, opinionem confirmabant, quamque syphilidem universalem ab affectione locali primaria, quam vocant, proficisci; quae affectiones si, quod negari non potest, rarissimis casibus manifesto deerant, tam leves et remissae erant, ut ab aegrotis ipsis non animadverterentur, ne vestigiis quidem molestiae cujusdam relictis. Morbus inter Esthonos occurrens leprosus nunquam ab affectionibus originem ducit localibus et primariis; quae etsi rarius quam in syphilide, genitalia tantum malo per majorem partem corporis diffuso invadunt; quin immo HECKERUM \*\*) scimus contendisse apud sexum

---

\*) Sc. J. Hunter, T. Frank, J. F. Fritze, A. T. Richter, Walch, Wendt, Louvrier, Cullerier etc.

\*\*) Vid. Hufeland Journal. Band xxvi. St. iv.

femininum, infectione quacunq̃ue corporis parte locum habente, in genitalibus inflammationes, ulcera et alias locales exoriri affectiones syphilidis, easque non minus in infantibus lactandis. Contra ea multas feminas a nostro videmus malo correptas, nec ullum status in genitalibus morborum vestigium posse deprehendi. Mali syphilitici alia etiam est ratio. Exanthematis formam si respicimus e. g. in lepra syphilitica, cujus maculae aequae sunt tenerae et molles atque aliae epidermidis partes, secundum opinionem Ioan. PEARSONII \*), non tam insignem reperimus cutis siccitatem et asperitatem, quam in lepra vulgari, quam formam nostrum etiam malum, induit, observamus. Tum maculae luis venereae colore rubro altiori excellunt, qui postea in colore transit cuprinum; in facie rarissime animadverti dicuntur \*\*) Faucium inflammationes in malo, de quo agitur, tam diu perdurantes, venereorum in faucibus ulcerum eruptioni nunquam praecurrunt; quae quidem e vesiculis, leprosa vero plerumque e maculis prodeunt helvis, super quibus interdum

---

\*) Vid. Robert Willan Hautkrankheiten u. Bd. II. pag. 130.

\*\*) Vid. Wendt. l. c. pag. 195.

quoque noduli adparent; ulcera vero faucium syphilitica, sicuti omnia omnino ejusmodi ulcera, fundo instructa proprio ac lardaceo, nec non maligniora et celeriter serpunt longius.\*) Aliquid proprii malum nostrum ostendit in veli palatini ulceribus: cito enim id penetrant, foramen formantia parvulum, nec tam celerius propagantur. Nullum porro, quod gravius rei afferat momentum, esse dicitur indicium, quam ulcerum syphiliticorum callositates.\*\*\*) CARMICHAEL\*\*\*) quamquam ulcus vere syphiliticum, fundum habens et margines callosos, quod sub cute repente finitur, tactu fere uti cartilago durum, essentialiter refert diversum a compluribus aliis ulcerum venereorum generibus, ortus tamen, decursus et affectiones secundariae, pro naturâ eorum in omnibus hisce formis adeo sunt consentanea, ut essentialem varietatem veneni,

\*) Vid. John Hunter *Abhandlung über die venerischen Krankheiten*, aus dem Engl. Leipzig 1787. pag. 363 et 433.

\*\*\*) Vid. *Salzburger med. chirurg. Zeitung* 1819. Bd. II. pag. 179.

\*\*\*) Vid. Rich. Carmichael *Beobachtungen über die Zufälle und specifischen Unterschiede der venerischen Krankheiten*; aus dem Engl. von Dr. Kühn. Leipzig 1819. pag. 14 et seqq.

quod hoc in casu aliis sub formis tantum se praestat modificatum, assumere utique non possimus, THOMSONIO \*) praesertim memorante, ulcera cetera venerea secundum Carmichaelis definitionem mutari saepissime in ulcera, quae ipse esse vult vere syphilitica: characterem igitur ab HUNTERO indicatum accipere licet verissimum. Signum morbi leprosi peculiare corripientium corpus ulcerum judicanda est ad crustarum squamarumque formationem proclivitas, quâ ulcera syphilitica carent omnino. Postremo dolores osteocopi nocturni forantes et rodentes malo nostro pseudo-syphilitico prorsus desunt.

Hic morbus raro concubitu, syphilis contra semper fere non nisi per eum propagatur, et ab iniquâ potius vitae conditione, sub quâ a malo correptus cogitur vivere, malum, de quo loquimur, provenire videtur, nihilo tamen minus et infectionem convictu et contactu provocatam, factâ experientiâ, non minus accipi posse existimo; semper autem, ut mihi videtur, aliquam requiri praedispositionem, multi enim, qui aegrotorum leprosum majore et arctiore utuntur consuetudine, ab iis ta-

\*) Vid. H. F. Autenrieth, *über die Volkskrankheiten in Großbritannien*. Tübingen 1823. pag. 155.

men non inficiuntur; quod autem in syphilide semper fere solet accidere. — Postremo in curandi methodi successu hucusque saltem posse me credo ponere discrimen. Quamvis e factis recentiorum medicorum Anglicorum experimentis e g. THOMSEN, HENNEN, MURRAY, EVAN, BROWN et GUTHRIE ulcera syphilitica cum primaria tum secundaria sanari possunt mercurio non adhibito, mihi tamen, quamvis praeclarus hujus medendi methodi successus extiterit, manifestum nondum et apertum esse videtur; utrum venenum syphiliticum, universaliter diffusum, sine mercurii usu re vera extinctum an aliquamdiu coercitum sit. Secundum opinionem, quam HECKER, HAVSE, RICHTER, COUVRIER, RITTER et alii proponunt syphilis vera cum caractere suo proprio in organismo occurrens hominis ceterum validi, nonnisi mercurio adhibito funditus fertur sanari. Experientiae vero novissimae, contagium syphiliticum, mercurio omisso, tantum suspendi posse, tempore autem aliquo praeterlapso quamvis leniore formâ, iterum tamen prorumpere videntur comprobare. \*) Unus e majoribus natu in medicina vete-

---

\*) Vid. tractat. a Dr. Schmidt in: vermischte Abhandlungen der Heilkunde. St. Petersburg. Erste Sammlung. 1821. et Autenrieth l. c. pag. 145.

ranis, HUFELAND \*) videlicet secundum et suum ipsius et plurium medicorum Anglicorum, quem quisque curando expertus est eventum, graviter nos admonet, ut in syphilide mercurium praebemus, in memoriam simul revocans: ante quadraginta ab hinc annos in Anglia syphilidem, mercurio remotâ, curari coeptam esse solo opio; breviori vero aut longiore temporis spatio decurso eo acrius denno prorupisse. Lepra Holsatica, cujus natura nostro malo aequalis posthac monstrabitur, sine recidivorum periculo, momentis quidem secundantibus, immo usu omni mercurialium omisso per inediam penitus sanatur \*\*); quae methodus ex analogia mihi etiam morbo hujus terrae laborantes, quibus memoratâ pariter curatione in nosocomio Dorpatensi, variis sub formis medebamur, a recidivis et ipsa videtur tueri. Ita videor mihi successu etiam curationis, discrimen intercedere inter malum pseudo-syphiliticum nostrum et vere syphiliticum probasse. Quamvis vera sit opinio, a sy-

---

\*) Vid. Hufeland, Journal der pract. Heilkunde. 1822. Septemb. pag. 30.

\*\*\*) Vid. Struve, über die aussehartige Krankheit Holsatens. Altona 1820. §. 153. et ejusdem tractatum: über Diät-, Entziehung- und Hungertur.

philide Proteos, ut ita dicam, modum observari, tamen mihi ad inveteratam, mercurialibus inepte et praepestere traciata, ideoque naturâ suâ quodammodo immutatam, nihil vero ad decursam ejus non interpellatum cum propriis et satis cognotis signis videtur pertinere. Tum vero cum utraque morbi forma altera alteri reperitur persimilis, diagnosis utique difficillime exponitur et nihil nisi historia morbi cum propriis ejus et peculiaribus signis, infra ubi de morbo agitur mercuriali, fusiùs explicandis certiores nos facere potest.

Leprosae formae singularem cum externis syphilidis serpentis \*) phaenomenis habere videntur similitudinem; verum in hac periostei et ossium substantiae tumorem quandam et dolores forantes quamvis minores animadvertimus. RITTER quidem syphilidem serpentem perfectam esse statuit ex una vel pluribus perperam susceptis mercurialibus curationibus, quae adhibitae fuerint in syphilide manifesta; quibus syphilidis nimirum phaenomena externa evertentur, contagium vero syphiliticum non omnino deletur, sed uti videtur, modifica-

---

\*) Vid. G. H. Ritter, Darstellung der Schanker- und Tripperseuche. Leipzig 1819. pag. 106 u. f. w.

tum, vi suâ refractâ in corpore restabat; alio modo non posse, adjicit, exoriri.

A Luo gonorrhoeica sic dicta chronicâ \*) resorbitione gonorrhoeae materiae in humores translatae progenitâ nostri formae morbi abhoret eo, quod exceptis maculis albis post orificium urethrae existentibus postea in erosiones mutatis, in priore pruritus intolerabilis, isque primo gradu conjunctus est cum parvulis illis in cute papulis assurgentibus, e quibus lymphâ exsudatur serius formans crustas; quod exanthema partem genitalium praesertim corripit pilosam; porro quod in gradu hujus morbi secundo sensus in capitibus articularum supervenit premens; ulcuscula in latere labiorum et genarum interno, palato et lingua colorem ostendunt ex albo subcaeruleum; modo evanescent modo redeunt; maculae ex nigro rubro colore tinctae imprimis in cubito nunc subito abeunt nunc revertuntur; exanthemata herpetica manus praecipue dorsum, perinaeum et femora occupantia cuique artis conatui resistunt; et denique quod in ultimo gradu, raro autem locum habente, pseudo-organisationes conveniunt majores tuberculosae et lardaceae et ani-

---

\*) Vid. Ritter l. c. pag. 41.

mus aegroti in apathiam quandam incidit. Postremo lues gonorrhoeica incurabilis est.

In morbo mercuriali tametsi phaenomena adparent iis admodum similia, quae in morbo rusticorum nostratium leproso adsunt, maculae videlicet et loca fusco-rubra paulatim dirumpentia ac pessima saepeque profundissima formantia ulcera, sicuti corrosiones et ulcera in cavitate oris et deglutitionis organis superficialia, tamen et accurata causarum exploratio at quod vehemens salivatio et assidua cum mollificatione gingivae et internae genarum, quae cava profunda et inter ea strata ostendunt elata, planitiei propria conjuncta, antecederat, ratam medico diagnosin efficere potest. Verum enimvero non in omnibus casibus salivatio praedit, qui difficillimi sunt dijudicata; cui rei tamen dentium habitus lucem afferre potest; nigri enim sunt et carioli, a gingiva breviora laxa circumdati. Interdum in medico mercurialium usu syphilis per speciem saltem evanescere et ejus loco morbus adparere dicitur mercurialis, qui vero mercurio remisso syphilidi rursus locum concedit; cuius reditum significare in faucibus ulcus et in cute papulae parvulae colore cuprino dicuntur. \*) His

\*) Vid. Andreas Mathias, über Mercurialkrankheit

in casibus et phaenomena praecedentia et curationis prioris methodis diagnosin satis exploratam confirmare possunt.

A scorbuto hoc malum leprosum facile discernitur. Singularis cum corporis tum animi virium imminutio, aegroti livida facies, maculae ex viridi caeruleae plerumque in suris eruptae \*), diversis ex organis haemorrhagiae, ipsius ulceris scorbutici conditio, excrescentias spongiosas facile sanguinem mittentes prae se ferentis, quod insuper obductum est strato quodam crasso sanguinis subfusi hquidumque et foetidum ichorem cruentum excernit; haec et alia phaenomena, quae sequelae depressae energiae systematis irritabilis et reproductivi et cum his conjunctae humorum dyscrasiae in conspectum prodeunt, pro certissimis signis diagnosticis habenda sunt. Mercurius nostrae morbi formae sanationem accelerans in scorbuto inter venena numerandus est.

---

in der neuen Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte, Tom. IV. Pars I. Leipzig 1820.

\*) Vid. Frider. Holst. commentation. de morbo, quem Radesyge vocant, quanam sit? etc. Christianiae 1817. pag. 41.

Morbi Esthonorum leprosi cum aliis leprae formis ei similibus collatio.

Nostris mali signis, quibus a gravissimis quoad formam maxime ei similibus abhorret morbis, diagnosticis denominatis, ex iisdem perspicue sequi censeo et ipsius ab illis naturam diversam; morbi enim qui uni eidemque causae debent originem existere non possunt formis tam variis, quam signis diagnosticis essentialibus accurate examinatis et consideratis re vera assumere cogimur.

Hunc vero morbum nostrum non solum leniori Radesyge formae sed etiam Holsatico morbo, quorum natura leprosa scriptis excellentissimorum virorum (HENSLEY \*), PFEFFERKORN\*\*), HOLST \*\*\*) et STRUVE \*\*\*\*) plane est comprobata, respectu phaenomenorum et indolis parem esse putandum, me-

\*) Vid. Prooem. operis: Die norwegische Pest u. s. w. Altona 1799. pag. VIII.

\*\*\*) Vid. über die norweg. Radesyge und Spedalskibed. Altona 1797. pag. 33.

\*\*\*\*) Vid. loc. cit. pag. 42—67.

\*\*\*\*\*) Vid. l. c. pag. 70.

moratorum comparatione confirmare nunc mihi propositum erit.

Prodromus et nostri mali exordium si conferimus cum iis, quae in Radesyge occurrunt malo, quibusdam exceptis rebus singulis, magnam inter utrumque reperimus convenientiam, quae adhuc major est cum morbo leproso Holsatico. Quibus in omnibus molestiae occurrunt catarrhales cum rheumaticis junctae, quae uti PFEFFERKORN (l. c. pag. 8.) contendere vult, in Radesyge semper dicitur mutari in febrem, cujus tamen HOLST non distincte fecit mentionem. In morbo Holsatico, sicuti STRUVE (l. c. pag. 60.) observavit nunquam ad vehementiorem febris gradum perventum est. Eo modo et in forma leprosa Esthonica molestiae catharrhales et pro aegrotorum constitutione plus minusve sensibili, quae torpida plerumque eo difficiliter ad reactionem perducitur potest, et pro constitutione aëris aut abire in febrem videntur aut plane non.

Capitis dolores non minus malo nostro superveniunt, minores tamen momenti molestiarum catharrhalium symptomata aestimandi sunt, quia nunquam tam alte ascendunt quam ut membrana in sinibus frontalibus pituitaria insignem in modum inflammetur et dolor ille in sinibus frontalibus mor-

bo Radesyge proprius (Sprengel), a PFEFFERKORN (l. c. pag. 8.) descriptus animadvertatur; qui quidem et in morbo Holsatico non deprehenditur. Vocis raucedinem talem, qualem MANGOR\*), PFEFFERKORN (l. c. pag. 9.), HOLST (l. c. pag. 16.) et STRUVE (l. c. pag. 4.) commemorant, nostro pariter observamus in morbo; dyspnoeam tamen rarius (MANGOR pag. 271, PFEFFERKORN pag. 9, HOLST pag. 15, STRUVE pag. 4) aegroti quamquam interdum conquerantur de oppressione quadam pectoris. Ceterum affectiones faucium his omnibus in morbi nominatis inde a status inflammatorii initio usque ad transitum in ulcera superficialia paulatim et ossa attingentia, aequales sunt. Non raro in aegrotis nostro laborantibus malo linguam conspicimus tumidam, in qua ulcera et excrescentiae exoriuntur; quae si propria tamquam morbi signa assumere velis, majori atque frequentiori opus sit experientia. Mercurius iis quos equidem vidi casus, adhibitus haud scio an hoc symptoma produxerit. In cute maculae et exanthemata eadem fere sunt, quae scriptores describunt modo nominati; maculae tamen albae non sunt ob-

---

\*) Vid. C. E. Mangor, Abhandlung von der Radesyge, pag. 171.

servatae; squamae autem interdum colorem ostendunt fere lactis. Parvi rarices secundum MANGORIS observationem (l. c. pag. 178.) mediis in maculis, secundum vero PFEFFERKORN (l. c. p. 12.) ruptione mutari in ulcera feruntur; qui quidem inter Esthonos et Holsaticos (STRUVE l. c. pag. 62.) non offenduntur; venae autem circa ulcera postea sese formantia intumescunt ita ut culis omnino non ulcerosa subcaeruleo colore tincta perluceat. Exanthema in historia morbi 4<sup>ta</sup> descriptum ei, quod PFEFFERKORN (l. c. pag. 13.) et STRUVE (l. c. pag. 13 et 16.) describunt, persimile est; sed quamvis plerumque, tamen non semper in Esthonorum exanthemate pruritus adest. Partes corporis pilosae pariter ab exanthemate et subsequentibus ulceribus corripuntur. Capillorum desluvium nondum hucusque animadverti. Circa anum et in genitalibus e maculis prodeunt aut excrescentiae, quae saepissime ulcerosae sunt, aut ulcuscula superficialia pari modo atque in lepra Holsatica (STRUVE l. c. pag. 13.) Ulcera generaliter eandem habent formam, quam Radesyge et morbus Holsaticus; nam nonnisi super esse aliquo superficialia dolorifica sunt (PFEFFERKORN pag. 8., HOLST pag. 19., STRUVE pag. 68.) Margines tantum callosi et duri in ulceribus, uti HOLST (pag. 19.) monuit, plerumque non occurrunt. Cu-

jus rei causa fortasse in eo, quo exstiterint latet mollo; in Radesyge enim formantur e nodulis per totum corpus in manibus vero rarius dispersis PFEFFERKORN pag. 14., HOLST pag. 19.). Nostris in regionibus pariter atque in Holsatia (STRUVE pag. 65.) haec tubercula non universa esse videntur. Historia morbi 6ta unicum hucusque praebet horum tuberculorum exemplum, ex quo aliquot in ulcera transibant, margines callosos prae se ferentia. Exostoses, quas observavit STRUVE in morbo Holsatico, inter Esthonos non deprehenduntur; ossa tamen etiam iis, ulceribus longius et altius propagatis, carie corrumpuntur. In nostris terris per plithisin videtur finire malum, nusquam tam teterram offerens imaginem, quam in Norvegia, quia hac in regione vel in ultimo morbi stadio cutis anaesthesia mira immo vero saepissime totorum membrorum delapsus morti anteit. (PFEFFERKORN pag. 23., HOLST pag. 21.) Haec symptomata et in lepra Holsatica (STRUVE pag. 68) desunt; huic igitur nostra etiam forma leprosa similis est.

Chersonesi Tauricae morbus, quem MARTIUS \*) tamquam leprae speciem quandam perhibet, me-

dium, ut mihi videtur, inter lepram malignam (råubiget Ausfaß) et tuberculosam tenet, et indole suâ naturâque magnam cum nostra morbi formâ habet similitudinem; calidiori tamen coeli habita quodammodo videtur mutari. Causis ab iisdem, quibus morbus noster, exceptâ terrâ uliginosâ et aëre humido, quae saltem ibi longe minoris sunt momenti, quam apud nos, morbus Chersonesi Tauricae incipit, aut maculis caeruleo-rubris, crassis, non dolorosis aut tuberculis in cute planis, existentibus nec semper interveniente aliqua febris; quae magis in dies augescunt totumque corpus tegunt internâ manuum et digitorum parte, articulis brachiorum, foveis axillaribus, poplitibus et ano exclusis; postea dolorosa fiunt et squamae simul sese formant. Accedit et virium eximia defectio cum raucedine conjuncta; appetitus cum somno nullus, nodi apparent crustosi, cutis aspera videtur et cornea, e fusco rubra; postremo ulcera prorumpunt, genas adeo, labia, palatum, linguam aliasque maximi momenti partes corporis corripientia usque dum catarrhus suffocativus tam tristi valetudinis conditioni finem imponit. Qui morbus plerumque annos perdurare septem solet. Scabiem aliquam siccam et singulare quoddam herpetis genus, morbo ipsi anteuntia a MARTIO (pag. 68.) audimus ac-

\*) Vid. H. Martius, über die Krimsche Krankheit. Freiberg 1819. pag. 55.

cipi tamquam complicationem. Febris hectica rarissime adparet, plerumque cum scorbuto complicatum est malum. Inter hunc morbum et nostrum quamvis magna intercedit convenientia, apparent tamen in eo phaenomena diversa, quorum causa modo in climate, modo in dyscrasia scorbutica, semper fere accedente, inest; quo fit ut maculae nigro-caeruleae et insignis virium imminutio exoriantur in morbi stadio medio jam progenitae. Facies tumore et rubedine deformis et morbo Chersonesi Tauricae (MARTIUS l. c. pag. 61.) et morbo Radesyge (PFEFFERBORN pag. 15., HOLST pag. 19.) et aliquatenus malo Holsatico (STRUVE pag. 61.) communis est; in forma vero leprosa Esthonica habitus ictericus, cachecticus et luridus faciei occurrit.

E comparatione phaenomenorum mali Radesyge, Holsatici et morbi Chersonesi Tauricae cum nostra morbi formâ haud dubie sequitur: e congruentibus his phaenomenis unam eandemque horum morborum colligi posse naturam, quod etiam postea ex aequalibus causis morbum efficientibus multo magis elucebit. Operae utique esset pretium mali nostri cum variis aliis leprae occidentalis formis persequi comparationem e. g. cum morbo rubro Cayennensi, pellagrâ vel lepra ediolanensi Italiae superioris, rosa Asturica in Asturiae vallibus

et herpete Aleppico; itidem morbus quidam in Illyria et Dalmatia endemicus, Scherlievo nominatus et inter formas syphiliticas \*) numeratus pro phaenomenis ejus tamquam leprae forsitan existit varietas, eademque de formâ quadam pseudosyphilitica Siwvens in Caledonia appellatâ possumus colligere; quam formarum comparationem si inire vellem, longius quam fas sit progredierer.

---

#### De morbi causis et vera ejus natura.

---

Morbum supra adumbratum et cum aliis essentialiter aequalibus formis comparatum, si endemicum nuncupo, videlicet qui certis causis localibus debeat originem e. g. terrae climati et vitae rationi, alimentis et solitis destinatisque populo laboribus et qui nonnisi hisce fere rebus exoriri solet, meum erit has causas accuratius explanare.

Terrae plaga, quam Esthoni incolunt a 57° ad 59° latitudinis geographicae septentrionalis et supra, longitudinis ab insula Ferro ad 59° circiter

---

\*) Vid. Dr. Cambieri, in den Altenburger Annalen über Scherlievo. Leipzig 1821. pag. 980.

ad 46° pertinet; sita igitur est in zona temperata septentrionali, cujus praecipue parti septentrionali hyemes frigidae et autumnus humidi sunt proprii. Nebulae densae et pluviae creberrimae durante autumno, nivis liquefactio tempore verno, mare, littori ejus terrae quam Esthoni habitant, adiacens, non minus lacus et fluvii permulti, paludes aërem humidis vaporibus mirum in modum onerantes, quibus incommodis rusticus Esthonicus per totum fere diem, immo vero noctu humo uliginosa dormiens, expositus est, pro factâ experientiâ, laxitatem cutis functionum omnium inertiam et quae ex his provenit, vitiosam sanguinis mixtionem facile explicare possunt. Aëre humido quam celeriter procreantur inflammationes chronicae, mucii abundantia, quae in hoc malo nostro praesertim modificatae esse solent; satis superque notum est.

Modificatione pedum continuâ, cui rusticus in pratis humidis foeni secandi gratia laborans, piscationemque exercens et negligenter ac leviter calceatus (calceamenta enim constant e fragmentis corii quae funiculo pedibus circumstricta in medio versantur calceorum et sandaliorum) assidue paene expositus est, debilitatem localem et inclinationem ad ulcera effici necesse est, cutis perspiratione oppressa et aëris temperie frigida simulque humida

horum organorum vitalitate immutatâ. Praeter vim aëris si rusticorum vitae conditionem respicimus, ad quam cognoscendam lectorem ad scripta infra designata delege\*), facile intelligi potest, quomodo horum immundities corporis, cubicula fumo et vaporibus foetidis completa modo humida, modo immodice calida in cutis organum vim suam mutantem exserere debeant. Haud parum ad hoc malum eliciendum rusticorum nostratium valent alimenta, quae maxima ex parte constant e pane furfure intermixto, qui in caritate annonae et a pauperrimis e farina paratur cum paleâ; cibi denique glutinosi e farina confecti et tubera solana. Carne rustici nonnisi fortunati vescuntur ac fere semper quidem porcina maxime pingui. Potione vel aqua utuntur vel fluido aliquo acido, fermentando e frumento parato, aestate autem lacte coagulato. Postremo immodicus vini adusti usus respiciendus est, qui celeriore sanguinis circuitum concitat, unde fit, ut in debilitato cutis systemate copia ejus nimis augeatur et secretiones abnormales facilius efficiantur.

---

\*) Vid. Dr. E. M. Styx, Handbuch der populären Arzneiwissenschaft. Tom. I. Riga 1803. pag. 38, 69, 75 et seqq. — Dissertat. auct. Baer. Cap. II. pag. 32.

tur. Non minor est stagnationum in portae venarum systemate habenda est ratio immoderato vini adusti usu conflatarum, quae etiam in cutem exercere possunt vim suam reagentem. Statu inter rusticos nostrates sensibilitatis torpido et alimentis, quae supra memoravimus, vi irritante necessariâ carentibus diligenter consideratis, totus cum digestionis tum assimilationis processus, qui in sanguificatione et omni processu vitali normali gravissimi est momenti atque in statu morbozo in cutis systemate morbosos provocat processus, quam imperfectus sit, luculenter potest perspicui. Tandem et pisces, quibus maris et fluminum accolae vescuntur, haud magis negligendi sunt, nam creberrime putridi comeduntur, tum nimirum in digestionem turbationem et in cutem reactionem efficere possunt. Causis his omnibus concurrentibus, quarum aliae cutis perspiratione depressa, aliae chylo male parato abnormem mixtionem sanguinis ideoque commutatam in partibus solidis progignunt conditionem, sphaerae formativae procreatur intemperies, quam quidem per molimina in cutis organo natura conatur corrigere. Cui rei argumento esse potest ante exanthema proruptum plerumque perturbata communis habitudo, quae exanthemate erupto in integrum restituta revertitur. Semper fere adauctum vegeta-

tionis processum in cutis organo adesse, id quidem vitae adauctae symptomatibus probatur, sensu e. g. in cute doloroso, rubedine ejus et tumescentia paulo ante exanthematis eruptionem. Cujus vegetationis processus adaucti conditio, quae qualisque sit et in qua parte cutis, num in epidermide sola, an etiam in reti Malpighii, an in corio pro diversa cutis exanthematis conditione, scilicet doctissimorum et ingeniosorum virorum permitto explorationibus. Malum, si membranam faucium et nasi mucosam invadit, praecipue speciem prae se fert catarrhali rheumaticam; quo in casu re vera ad rheumatismi catarrhali similitudinem videtur accedere, qui influentibus aliis rebus, quibus rusticorum cutis organum imprimis obnoxium, formam accipit modificatam.

Nostri morbi indolem non esse naturam syphiliticam perspicue patet e origine modo indicata, variata forma et fortasse etiam e curatione ipsa. Quodsi causas modo relatas perpendiamus, quae per se malum provocant, nullis infectionis syphiliticae, quamvis diligenter perscruteris, vestigiis reperiuntur, immo vero quae interdum omnino non reperiuntur, pueris scilicet, quorum parentes et his testibus non minus totus, in quo vitam degerebant, vicus certe prorsus erant sani, hoc malo cor-

reptis; non equidem habeo cur dubitem, malum nostrum non esse naturâ syphiliticâ.

Pari modo e formâ quoque, quam morbus noster et scorbutus induit, omni ex parte diversa, natura ejus varia sequitur. Malum hoc scorbuti cum syphilide esse complicationem, cum ratione accipi non potest, tum enim ulcus sese ostendit atonicum, spongiosum facile sanguinem mittens, adhibitoque mercurio aegrotorum mirum in modum status in pejus vertit, quod quidem in malo nostro longe fit aliter. Nec syphilidis etiam cum scrophulis complicatio existit, tum enim praecipue colli, fovearum axillarum inguinum atque mesenterii glandulas affici videremus, morbusque citiorem servaret decursum ac brevi admodum terribiles in lucem prodirent destructiones \*). Horum morborum, qui saepissime occurrunt, conjunctione propriam exortam esse formam peculiari quodam contagio propagatam non magis assumi potest, hucusque enim hujusmodi generatio spuria minime cognita est; quod etiamsi acciderit, quomodo contagium syphiliticum vim suam propriam naturalem

---

\*) Vid. G. A. Richter, *specielle Therapie*. Berlin 1822. Tom. V. pag. 363.

deposuerit, primo affectiones locales primarias tum syphilidem secundariam procreandi mente comprehendendi non potest. Docet potius experientia, quodlibet contagium vim suam in organismo obtinere, quam ob causam variolae et verae et vaccinae in uno eodemque individuo simul separatum suum habent decursum nec tamen novo genere vario exorto \*).

Certum itaque et exploratum mihi est, morbum hunc inter Esthonos grassantem numerandum esse in leproso. Leprosus autem eum nuncupo, quamquam non omnino eandem prae se fert speciem, quam veteres in scriptis relictis de lepra nobis proposuerunt, essentialem tamen quamvis multo moderatiorem formam exhibet praesertim in naevis prodromis veterum.

Constat lepram expeditionibus sacris contra doctrinae Christianae adversarios seculo XI<sup>mo</sup> et XII<sup>mo</sup> in Europam latius promanasse, ubi diversissimâ specie per tria vel quatuor secula saeviit, donec adparente syphilide, quae accedentibus tum multimodi rebus et momentis, nil forsitan nisi lepra

---

\*) Vid. I. C. Reil, *über die Erkenntniß und Cur der Fieber*. Halle 1815. Tom. V. pag. 365.

modificata nominetur eo tamen omnino ab ea se-  
 juncta, quod singulare inesset contagium, aliis in  
 locis tota evanescebat, aliis formâ tantum mitigatâ  
 sese offert et nominatim quidem nunc temporis in-  
 ter Esthonos ex rationibus scilicet sequentibus.  
 Formas igitur, quibus malum inter Esthonos in  
 conspectum venit, descriptas si consideremus, mag-  
 nam ejus cum veterum leprâ animadvertimus con-  
 venientiam. Morphaeam nigram (HENSLEI l. c.  
 pag 47) notam sive naevum colore turbido, secun-  
 dum Celsi opinionem umbrae similem in nostro  
 quoque malo reperimus tanquam naevum prodro-  
 mum, qui pariter foliis et squamulis futuri simili-  
 bus desiccatur, subter quibus subrubicundus adspi-  
 ciendus est, posteaque transit in baran nigram vel  
 uti Ebu Sina contendit, in escharae genus quod-  
 dam (impetigo excorticativa) cum crustis abiens.  
 Pag. 34<sup>ma</sup> secundum WILLAN lepra nominata vul-  
 garis, quam SCHILLING \*) nobis leprae incipientis  
 praebehit, formae prorsus est similis, nam et huic  
 forma rotunda propria, et quamquam ejus sympto-  
 ma perhibet anaesthêsiam quandam, tamen eam,

---

\*) Vid. G. G. Schillingii de lepra commentatio-  
 nes. Lugduni Batavorum 1778. pag. 8.

adjicit tum demum adesse, quum lepra longius iam  
 serpserit. Herpetis et impetiginis genera (HENSLEI  
 pag. 51.) et in nostro morbo primitus sunt sicca,  
 pruriendo vero et scabendo fiunt ulcerosa et tum  
 quidem lepram proprie sic dictam albaran vel uti  
 veteres aliquot medici seriori in stadio eam appel-  
 lare solebant, zernam construunt HENSLEI (pag.  
 85.) descriptioni omnino convenienter inter Estho-  
 nos occurrit gutta rosea vel rubea (secundum Gor-  
 don morphaea rubra) Lepra tuberculosa ab eodem  
 plerumque incipiebat rubedine. Vari, alopecia  
 (porrigo aut furfures) raro inveniuntur. Lentigines  
 (Zinsenmäler) illae subfuscae et subrubicundae ad-  
 modum infamatae, naevi fuscii paulo elati formâ et  
 colore lenticularum ac panni (Matplâge) planis si-  
 miles condylomatibus nostro in malo non offenduntur.  
 Lepra maligna, baras nigra (HENSLEI p. 90.) in seriore  
 decursu morbi Esthonorum formae persimilis est.  
 E maculis enim fuscis vel ex impetiginoso exan-  
 themate crustae subrotundae siccae exoriuntur, co-  
 lore ciceribus haud dissimiles (cicerinae), quae pi-  
 scium squamarum instar decidunt. Intolerabilis  
 pruritus leprae veterum malignae proprius non eo  
 locum habet gradu; interdum omnino deest. Le-  
 pra maligna pari ac morbus noster modo in ulcera  
 mutabatur brachia et crura praecipue corripientis.

Anaesthesia, quam SCHILLING (l. c. pag. 15.) leprae symptoma exhibet, et in ulceribus formae leprosaee Esthonicae animadvertitur. Febris, unde secundum HENSLER (pag. 125.) lepra cepit initium, constitutione Esthonorum magis phlegmaticâ non tam perspicua prodit in lucem, magis autem molestiae supra memoratae chronicae. Affectiones locales in genitalibus e. g. amplexu venereo factâ infectione sicuti in lepra et apud nos non conspiciuntur. Rubedo faciei nitida nostro in malo non aequè emicat atque in veterum lepra describitur, singularis quamquam faciei rubedo praecipue in alis nasi et color quidem faciei magis fulvus saepius observatur. Oculorum morbi ut inter Esthonos occurrunt ita nullo modo cum malo hocce necessario conjuncti sunt sicuti in lepra fere fit. Capillorum defluvium in aegrotis nostro morbo laborantibus non reperitur, at in capite furfuri similis desquamatio. Vocis raucitatem et in pectore sensum oppressionis in hoc malo non minus quam in lepra (HENSLER pag. 138) deprehendimus, dyspnoeam vero non tam insignem. Os foetidum et exhalationum odor singularis pariter non desunt. Animi habitus valde mutatus et coeundi cupiditas in rusticis hoc malo correptis non quidem animadverti possunt, cujus rei causam, ut opinor, in animo eorum obtusiore quaerere de-

bemus. Ita coenaestheseos immutatae et symptomata, morbo demum majorem in modum progresso, se ostendunt, qui morbus plurimos annos potest perdurare sicuti lepra, singulari ejus adauctione non quidem factâ. In lepra tumor in naso, ore, faucibus magis magisque sese formaverat, postea ulcera; eodem fere modo in hoc leprae Esthonorum genere. Maximum leprae gradum cum faciei, tum totius corporis designavit deformitas: facies intumuit, facta est lurida; non solum hic sed etiam sub universi corporis cute tubercula prodire lurida modo si eorum siccitas continuabat, lepram peraridam formantia ac tuberculosam (lepra elephantia HENSLER pag. 157.), modo ulcerosa facta tuberculosam lepram et ulcerosam (lepra leonina HENSLER pag. 160). Quae tubercula in Esthonis vel omnino non animadvertuntur vel rarissime; tantum nec non lepra tyria et alopecia (HENSLER pag. 162 et 171). Universe hoc leprae inter Esthonos genus saepius squamae formam videtur prae se ferre. Lenta virium defectio et catarrhus suffocativus plerumque veterum malo, nostro febris hectica finem imponit.

Argumentis his relatis jure ac merito me posse contendere puto: morbum inter Esthonos occurrentem nominari debere leprosum. — Sicuti malum

**Radesyge et morbus Holsaticus**, uti supra monstravimus, externis evolvitur momentis, sed, annuente experientia, etiam contagio propagatur, cujus natura tamen definiri nequit, cum alii, momentis causalibus quae malum eliciant, non obnoxii ab aliis hoc morbo correptis inficiantur. Ad contagium vero dilatandum praedispositionem in inficendis individuis quandam requiri vel ex eo elucet, quod si plura individua infectioni exponuntur, omnia tamen non inficiuntur. Dispositio in certa quadam partium mixtione et ex ea resultante nervorum temperie minime nobis cognita videtur verti; qua contagium et organismus alterum in alterum vim suam certo modo exsorere possunt. Identitatis enim in infectione et magnetismo animali \*) assumptio vel in procreatione \*\*) singulis analogiis eorum quamvis acute ac solerter expositis, ratis tamen atque firmis adhuc caret testimoniis naturamque infectionis tenebris obrutam relinquit. Contactu qui-

\*) Vid. F. C. Bach, Grundzüge zu einer Pathologie der ansteckenden Krankheiten. Halle und Berlin 1810. pag. 203. — F. Schnurrer, Materialien zu einer allgemeinen Naturlehre der Epidemien und Contagien. Tübingen 1810. pag. 130.

\*\*) Vid. dissertat. de contagior. natura auct. Anelung, Berol. 1819. pag. 51.

dem ad venenum transferendum ab alio individuo ad aliud opus esse videtur, qualis praesertim in hominum plurium convictu et consuetudine tam vario modo exstat e. g. in concubitu, eodem tamen quo in veterum lepra \*) modo, distinctis videlicet affectionibus localibus primariis non adparentibus, e vasis communibus edendo et bibendo, osculando et ut in infantibus fieri solet, sugendo, eorum hominum, qui malo vexantur, vestes induendo, quum praecipue vestimenta lanea inter rusticos maxime sint universalialia, quae quidem, experientia affirmante, aptissima sunt ad contagium in se recipiendum, longum per tempus retinendum et tum demum propagandum. Per concubitum non semper malum transtundi, quamvis adsint etiam in genitalibus et partibus proximis ulcera, plura in rusticorum conjugio testimonia probantia possumus reperire.

Malum an etiam sit hereditarium nec ne, hac de re nil pro certo habere ausus sum. Equidem parentum hoc malo laborantium validos vidi et sanos liberos, quod forsitan malum hereditate traditum

\*) Vid. Hensleri excerpt. pag. 130. — Theodorici in chirurgia Lib. III. cap. 5.

nequaquam refeleat; sequi autem ex his observationibus videtur; hereditatem certe communem non esse accipiendam.

Reliquum est, ut conjecturae hic locum concedam. Esthoni videlicet syphilidem insigniunt hisce nominibus: *paħha aigus*, *furri többi* (morbus malignus), *prantsuēse többi* (morbus gallicus). Quaeritur itaque num Esthoni, priusquam syphilis testante KÖRBERO \*) ante circiter CLX annos demum in his locis occurrens inter eos comparebat, hanc leprosam nostram formam, sicuti Scandinavi morbum apud eos animadversum Radesyge appellant, quod secundum MUNK \*\*) etiam significat morbum malignum, *furri többi*, *paħha aigus* nominaverint?

Recentiori tempore syphilidem nuncupabant *prantsuēse többi*. Utraque morbi forma quum externa specie tantam inter se habeat similitudinem et medici ipsi forsitan utramque confunderent et Esthoni nomina permiscebant posteaque syphilidem utroque nomine appellabant. Nomina igitur morbi, si

\*) Vid. P. F. Körber, Versuch die gewöhnlichsten Krankheiten bei dem gemeinen Manne und besond. den tief. Bauern zu heilen. Reval 1761. pag. 82.

\*\*) Vid. dissertat. de morbo, quem radesyge dicunt, auctore C. E. Gedjke, Berol. 1819. pag. 4.

analogiam hic statuere liceat, similitudinem cum Scandinavorum Radesyge nec non existentiam morbi alicujus a syphilide diversi et ipsa possunt testari.

Opere hoc meo ad finem adducto, plane tandem perspexi quam difficile tractanda sit, materia mihi proposita, si ad perfectionem quandam pervenire velis; et maximopere quamvis vereor, ne vitia multa facile possint aperiri; spero tamen fore, ut lector benevolus excuset me atque indulgeat, quum praesertim medici juvenilis experientia nimis circumscripta sit, quam ut aliquid perfecti et absoluti in lucem edere possit. Maxima sane afficerer voluptate, si opusculum meum ad observationes disquisitionesque futuras litterarum studiosos concitaret, formaque hujus morbi quoad praxin diligentius tractaretur, ut, quam morbus hicce rusticis Esthonicis tam diu afferebat tandem coerceretur calamitas.

71

Theses defendendae.

---

1. Luem veneream per contagium ex Indiis occiduis ad Europam non transiisse contendo.
  2. Affectiones syphiliticae primariae resorbitione systematis lymphatici non exoriuntur.
  3. Venenum gonorrhoeicum et syphiliticum sunt distinguenda.
  4. Ulcus syphiliticum primum remediis solum topicis sanari potest.
  5. Iris pupillam coarctatam quiescit.
  6. Typho contagioso status subinflammatorius membranarum mucosarum subest.
-